



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

13. Socios sibi in Sinas eligit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10854**

in finitissimis spatii superante. Quare cum ea res in manu Dei sit, nihil aut metuendum, aut cunctandum nobis in ea superest; nihil enim denique præter Dei offensam, & æternos ignes timendum est. Mihi quidem ex eo incomparabilis confidètia nascitur, quod tanto tam arduo operi, homines legerit, quales sumus, nequissimos, & ineptissimos, spargendo scilicet in gentes, orbe altero semotas, Euangelico splendori, & superstitionum ac scelerum inueterata nocte conspulsis, in lucem ac vitam excitandis.] Hæc de beati Apostoli stylo, quæ cum scriberet, de legatione Pereira ad Sinas cum Prorege Alfonso iam constituerat, diplomaque ab eo legitimum, & ferenda dona acceperat, eratque tantum opinionis omnium de illo pondus, ac de negotij quod suscipiebat grauitate, ut ex regis ministris nemo illi quicquam ad hoc denegaret. Dona, magnam partem Pereira suo sumptu parauerat. In iis complura Sinensi minus conuenientia, quam ostendenda in illius aula, Christianorum rituum maiestati, ad pelliciendam eo spectaulo Barbarorum in illos uenerationem à vestes ad rem diuinam, ex pretiosissimo serico, & auro, arte Phrigionica laboratas; sacras tabulas Magistri operis, rarique penicilli, totum Sacerdotis, & Altaris ad solennia paratum. Accedebant, ad Regem Sinarum literæ aureo caractere, pulchræque ornatu ab Episcopo Albuchercho, & Prorege, in commendationem legis Christianæ; ac (ne quem Ministrum Lusitanicæ ditionis transuersum ageret læua mens aduersus legationem B. Apostoli, & Pereira) capitale futurum idem Prorex edixit vel obstanti, vel impediendi.

Optari denique in beatam sortem, quos secum duceret socios oportebat, tum in Iaponiam mittendos, tum ad illam earum, quas unquam suscepisset nobilissimam in Sinas expeditionem retinendos: nec leuis industriæ fuit, tam multis idem enixè cum fletu petentibus, repulsam probare. Triginta è nostris Goæ Collegium alebat, quæ prouectos, quæ nouos; lectæ omnes, ac notæ virtutis, dignosque felici munere, quod quisque sibi priuatim expetebat; nam vel id unum Sancto Patri comitem adiungi; gestorum eius, & operum sui spectaculo; audire loquentem de diuinis, omnemque illius vitæ seriem, ac modum obseruare, tanti erat, ut quouis emendum periculo, & molestia crederetur. Sed nemini iustius quam Gaspari Berzeo, ea gratia debebatur, ut quem Ormuzio Sanctus Pater se accersere monuisset, vel suas vices in iuuandis Iaponibus obiturum, vel secum in Sinas profecturum; verum sua ipsius, si loqui fas est, viro nocuit virtus, ipsoque optati merito optatis excidit. Erant Goæ Berzei tam frugiferi labores, ut pia ciuitas potenti concionatore Gomezio orbata, secundam hanc Berzei iacturam non esset laturo, nec hians adhuc seminarij vulnus, negando Berzeo debuit refricari. Verum ut erat eius caritati non impar obedientia, nec verbum sibi elabi passus est, quo posset conici esse in Sinas, quam Goam pronior; eundem quam manendi. Onerauit dumtaxat eius modestiam, improvisus honor, tanto præter eius expectationem, quanto se illo indignum censebat.

I 3

Socios sibi in Sinas eligit.

bat. Goam enim ingressus Xaverius duas Roma inuenit patentis formulae literas, vt ex autographo quod Romae asseruamus intelligitur; vnae Octobris decimo, Decembris vigesimo tertio secundas, vtraque 1549. datas. Primis Ignatius praeficiebat nostris in India, & transmarinis in Oriente regnis Prouincialem Xaverium. Alteris amplam dabat facultatem, gratiarum, & praerogatiuae cuiuscumque, quibus Summi Pontifices Generalem ornassent, quosque ipse iisdem muniendos vidisset. Cum autem Xaverius pro Apostolici spiritus, munerisque impulsu, tam longinqua interdum, & tam inhospitas nonnunquam peteret insulas, vt Roma citius, quam illinc Goam possent haberi epistolae; omnis interim ea auctoritas, & facultas penes Rectorem Goani Collegij decernebatur fore, pro modo tamen, atque arbitrio; quo dispensandam Xaverius, vel retinendam iudicasset. Atque hic tum primum nostri India tota in vnam coaluere Prouinciam a Lusitania omnino seunctam, ex qua sine magna perturbatione, mandata, leges, & moderatores expectari, locorum obibat longinquitas. Progreffurus ergo Xaverius longè ultra fines Indiarum, suas Prouincialis vices Berzeo tradidit, cumque iis esset Berzeus Dei donis instructus vt expeteretur ab omnibus, mouere se Goa per triennium solidum Obedientiae praeepto vetuit, ne si foret hoc ipsi liberum, vel repulsa externos offenderet negando, vel eundo nostris sua absentia noceret. Quod idem Ormuzium praefecturo olim inuenerat. Cunctis igitur Goae circum adstantibus Collegis, Berzeum nostris per vniuersam Indiam Praefectum, veneratus est ipsemet primus de genibus, obedientiam testatus, non tam publici nomine, quam exemplo, typoque obseruantiae, & demissionis Rectoribus debita. Berzei rubor verecundus, lachrimae, deprecationes impositi muneris, suimet traductio, velut omni ex parte immerentis, & cuius regendi officio imparis, nullum finem habebant, vt erat sui absque modo contemptor; quibus tamen imprudens inducitur se altius, & eò praebat delectu Xaverij digniorem, quò tanquam indignus, auersabatur illum contentius. Scripto quaedam illi reliquit Xaverius monita, quae religiosa gubernationi conducerent Pia ac Prudenti, quibus illa duobus principiis nititur. Post haec Sinensis itineris comites, & destinandos in Iaponiam tres istos delegit, Baltazarum Gagum Sacerdotem, Odoardum Syluam, & Petrum Alcazcuam, qui post in Iaponum eruderanda idololatria magnis sunt defuncti laboribus. Accessit & Frater Aluanus Ferreira de Montemaiori, cum Francisco Gonles, demum iuuenis sanctus tamen nondum religiosam familiam amplexus, Antonius nomine, genere Sinensis, in seminario S. Fidei educatus. Tantisper dum nauibus caelum & maria mitescunt, stas per noctes horis Collegium Xaverius cogebat, & erudiebat allocutione de rebus animi; auditorio quidem tam lecto apposita, sed magis dicenti, qui multo alius in diuina, eorumque usum penetrauerat sese. Argumenta dicendi virtutes omnes, quae operarium Apostolici muneris perfecte absoluunt, quibus inculcandis praefagire animo vidisset, fore illa suprema

mutua

mutuæ caritatis quæ daret, reciperetque solatia; tanta erat docentis, suadentis, animantis ad illos quos aperiebat, & præibat sanctimoniam gradus, teneritas; atdebant dicentis, & audientium animi, ac vultus; suspiria, & lacrymæ vtriusque perpetua, ut qui aderant, ipsimet scriptis tradidere. Cum autem nauim conscensurus ultimos suis diuideret, ac reciperet amplexus, inquit scriptor, effuse flens, commendauit cuique in vocationis proposito constantem animum; demissionem sui veram ex intima sui perspectione ductam; præcipue tamen alacritatem ad parendum, hæsitque in hac diutius, ut quæ tanti esset apud Deum, & Societatis hominibus tam necessaria.

Goa discessit Xauerius maioris hebdomadæ die Iouis, qui anno 1552. incidit in Aprilis quartum & decimum; prosperè nauiganti, ad Nicubaris insulas, quæ cornu Septentrionali Somatræ aliquanto superius sitæ sunt, iam mare se frangere, moxque in tempestatem desæuire, ex qua nulla spes esset emergendi; & vero in oculis duo magnæ molis fœderata inter se nauigia, ventis, marique imparia depressa periere. Quæ Xauerium vehebat Prætoria, & vastitate, & pondere tardabatur; nec velis nisi ægre, nec gubernaculis parebat, nec vndas exire habilis, irruentes valebat. Quare de iactura deliberatum est, iamque nauæ, ac remiges fundo mercimonia extrahebant, cum Sanctus futuri conscius, & dolens mercatorum vicem, apud nauis Præfectum institit, sustinerent parumper, & velis nauim vtrumque tuerentur, certo enim mare Deo propitio positurum, & euasuros incolumes. Nauas vero obstantes, quod ingrauescente, ut solent, sub occasum Solis, tempestate, futura esset valde difficilis per noctis obscurum iactura, securos esse iussit Xauerius; prius enim tranquillum aquis rediturum, quam Sol occideret, & futuram in prospectu terram. Confusus vaticinio viri sancti Præfectus, cui aliunde quantum credi deberet nouerat, breui vidit euentu duplici confirmatum; cadente Sole, tempestatas concidit, œceloque serenato terram cœpit oculis legere. Sed in hac omnium ex accessu ad portum lætitia, solus præter morem tristis Xauerius, & mœstum suspirans, interrogatus causam, cunctos admonuit pro vrbe Malaca Deo supplicarent, quam morbi lues depopulabatur. Grassabatur enim febris pestifera, quæ icctos celeriter absuuebat; cōtactu solo aliis inhærebat. Eam ob rem illuc viri sancti appulsus, si alias vnuquam, tunc vrbi venit quam optatissimus, singulis ab eo præsentissima sibi subsidia corporum, animorumque spondentibus; & vero in terram descenderat, cum statim ægrotos inquirere, & ab iis requiri; cupere omnes de animæ causis per Xauerium cum Deo transigere, quisque illum sibi adesse morienti; ea vulgo cunctorum fiducia, cui adfuisset, saluum esse, nec eò segnius illius socij, diurnas, & nocturnas operas ægrotis dabant, domumque nostram in Nosocomium caritas verterat; vir sanctus haud alio tam assidui laboris solatio, præter contextum ex paleis contra æstus vrentes pileum (quanquam illo fere socius utebatur) domos ægrotantium lustrare, destitutos in publico, ipsemet in Nosoco-

K k mia

14

Absentia cognoscit, pestilentia icctis Malacæ insequitur, mortuum excitat.